



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac
de ejus voluntate, & Providentia

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Amico Lectori.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

AMICO LECTORI.



IL VIT dudum Schola Thomistica, inter tot excitatos in re litteraria tumultus; & inter tot ingeniorum malè luxuriantium conflictus, placidâ pace potita est. Feraci equidem ingeniorum sæculo vivimus, quod cum primis conferre fas esset: si novitatum quibus gaudent, veritas & pietas comites, multitudinem exæquarent. Nusquam plures excogitatæ opiniones, nusquam periculosiores: aliæ in Ecclesiæ ruinam compactæ, fidei: aliæ in animarum perniciem concinnatæ, pietati: omnes parem religioni injuriam faciunt, & labem inurunt: cùm nec minus religio & pietate & fide constans, castam sibi morum temperiem vendicet, quàm incorruptæ fidei integritatem. Placuit equidem Scholæ Thomisticæ, in pietatis & fidei patrocinium, omnibus quos Christi Charitas urgeret, sui Præceptoris Angelici Doctrinam, vinci nesciam, victricem semper velut, inflexam veritatis regulam, ultro offerre: silere tamen inter cæteros prurientis sæculi, mentiumque ex condicito sævientium vanos conflictus, non minus veritatis, quàm pacis studio, maluit, debuitque. Nec enim veritas, quæ pacatum exigit animum, in tanta unquam animorum contentione, eruitur: sed velut nube tegitur, & occultatur. Sciebat hæc omnia ad placitum fabricata placita, brevi fore improbanda: adeò infirmis radicibus nixa brevi casura: & quæ sui exordij diem facilè recensere poterant, cito occasus sui diem visura. *Veritatem dies aperit.* Quod splendore quodam, nullâ soliditate fultum nitet, ut suo nitore statim placet, ita infirmitate citiùs ruit. Sanè his omnibus novellis opinionibus, præclarum illud lemma, quo fragilitatem humanarum rerum, quidam expresserat, licet apponere; SPLENDOR EVANESCENS: ignes quidam volatiles, & fatui, eodem penè momento extincti, quo accensi: meteora splendentia, eodem quo splendent igne, momento consumpta; aut si crassior interdum materies igni magis obsistat, & plus temporis duret, fulminum materiam subministrat. Atque ita in his omnibus adeò specie tenus splendidis opinionibus, contigisse vidimus ac dolemus. Ecclesiæ fulminum, Vniversitatum censurarum, fomitem & materiam subministrarunt: nec tanta Authorum contentio mordicùs pertinax, aliud efficere potuit, quàm ut ægerrimè cogerentur inviti deserere, quod tantâ contentione fuerant amplexati. Frustra igitur Schola Thomistica, pietatis & fidei studiosa, veritatis & pacis amica, vi & contentione tentasset concutere, quod sponte casurum non dubitabat. Siluit etiam aliquando impetita: atque hoc est suæ securitatis testimonium, non imbecillitatis indicium. *Bene tacet qui defensione non*

indiget: ambiat defendi, qui timet vinci. Sui securior est Schola Thomistica, quàm ut vinci timeat: fortior quàm ut egeat defensione. *Non ergo* (ut iisdem Ambrosij verbis utar in re non dissimili) *accusationem accedendo confirmavit, sed despexit non refellendo.* Stat veluti arbor quædam, fixis à pluribus sæculis radicibus nixa; ventorum flatus non pertimescit. Præbet se non aliter quàm rupes quædam, in medio mari posita, quam fluctus non desinunt undequaque moti verberare: nec idcirco eam aut loco movent, aut per tot ætates crebro suo incurfu consumunt. Quin & seipsam sæpius gaudet tentari; illustratur enim iis, quibus impetitur: splendorem ab oppositis ictibus accipit, fulgentior est cùm probatur: ita *fulvum spectatur in ignibus aurum*, ita flatibus ignis excitatur, accenditur. *Produci illi*, ut & virtuti Senecæ, *expedit: nec ulli magis intelligunt, quanta sit, quàm qui vires ejus laceffendo senserunt: duritia silicis nulli magis, quàm ferienti probatur.* Verùm aliorum mihi semper gravior visa est, & minùs ferenda injuria, qui fictâ in Angelicum Præceptorem reverentiâ, & inimico plane zelo impugnant, quem defendunt: quem suæ sententiæ patronum gloriantur, traducunt: *Magistrum vocant cujus nolunt esse Discipuli*: nec enim ejus verè sententiam sequi, sed ejus duntaxat, & se nomine tege- re, & autoritate sententias commendare nituntur. Sic apud Boëtium Philosophiam quidam distrahunt, & vestes quas suis ipsa texuerat manibus, scindunt; ex eisque particulas abripiunt, quibus contecti, apud imperitum vulgus Philosophi videri possint, à Philosophia remotissimi. Atque hæc etiam, summa est D. Thomæ doctrinæ commendatio; ea enim est, ut nec ejus hostes insensissimi, aperto Marte, & erectâ fronte, eam impetere audeant; metuantque ne falsitatis suspicionem incurrant, nisi arte aliquâ, vel invitum & reluctantem pertrahant: meritò quidem, cùm à Summis Pontificibus acclamatum sit, eum qui D. Thomam impugnaverit, semper fuisse de falsitate suspectum. Sanè quod latere gestiant, quod aliena nomina sibi fingant, & sua occultent, quod erubescant videri; boni ominis esse non existimo: *malum enim est quod pudore natura perfudit.* Cæterùm ut & tacendi, ita & loquendi tempus volvitur: contentioni equidem, quâ veritas non eruitur, sed offunditur, quâ Christi charitas, non fovetur, sed læditur, cedendum sit, non est tamen veritas deferenda: cùm & ex certamine fortior exeat, ex tenebris splendidior emergat, *per ea quæ ei adversantur eluceat, & immobilis manens, natura sua firmitatem, quotidie dum attentatur acquirat.* In medium igitur, etsi omnium minimus venio; objicio clypeum quo tela repellam, veritatem Thomisticam, non tam meâ industriâ, aut arte, quàm sua ipsius invicta vi defensusus. Et sanè non aptiorem alium, quàm Clypei titulum, huic operi præfigendum existimavi; siquidem ut olim de seipso D. Hieronymus dicebat, *Non sum aggressor, sed aggressos innoxios tueor: non offendo, sed defendo: non provooco, sed resisto; non sum invasor, sed defensor.* Cùm impeteretur olim Philosophia

Seneca.

Tertul-
lianus.

D. Hila-
rius de
Trinit.

D. Hier.
Ep. ad
Augusti.

Thomistica, suum habuit quo tegetur Clypeum; æquum est,
 ut & suum habeat quo se tegat, Thomistica Theologia: offero
 nunc, cum Theologiam Thomisticam defensam, propugnatam-
 que in lucem edo. Nihil prorsus quod hac tempestate ventiletur,
 quodque edere liceat, intactum prætermitto, quæ ab Adversariis
 excogitata sunt, resolvo: an feliciter id præstiterim, apud æquum
 Lectorem iudicium relinquo. Vnum saltem me præstitisse existi-
 mo: ita ea omnia nitidè expressisse, ut vix facilius, aut citius, quis
 legat, quàm intelligat. Sermonem stiloque facili & simplici utor, qualem
 in Scholis usurpant, rebus difficillimis explicandis magis opportu-
 num. Non enim decet verborum strepitus, sermo phaleratus, &
 comptus, divinarum rerum gravitatem. Grandiores aut difficilio-
 res res ornatè dicere, puerile est & ineptum. Sint adventitia hæc
 ornamenta, rebus infimis, quæ nihil ex se commendationis ha-
 bent, extollendis necessaria; *sitque otiosis in partibus maximè elabo-*
randum; secus tamen in his quæ moribus, quaque sententiâ pollent:
quandoquidem ipsa valde luminosa dictio, tum mores, tum sententiâs,
quæ per se satis conspicua sunt, obumbrare solet. Existimavi satius, si
 tractaretur Theologia, his maximè temporibus, cum aded splen-
 det, & tanto in pretio est, *ut iam remotis gradibus dignitatum per*
quas solebat quisque discerni, solum fere sit nobilitatis indicium, Theo-
logiam nosse, ut tractabatur olim: cum (ut inquit Nazianzenus)
res nostræ præclare se haberent, cum nimirum superflua hæc, & verbo-
rum lepore atque arte fucata tractanda Theologia ratio, ad divinas
caulas, ne aditum quidem haberet. Præterea verò germanam D.
 Thomæ Doctrinam ubique amplector: mihi enim qui prope novi,
 eam præ cæteris (unâ exceptâ canonicâ) habere proprietatem ver-
 borum, & sententiarum veritatem, instar religionis est, nec in mi-
 nimis ab ea deflectere: huic uni duntaxat sum innutritus: huic in-
 cubui, atque etiam nunc eam præ manibus habeo semper: ut mihi
 illud de D. Thoma usurpare liceat, quod de D. Paulo Chryosto-
 mus, *Neque enim nos quæ scimus, si quæ scimus, ab ingenij bonitate,*
aut acumine scimus: sed quod nos illi viro impense affecti, ab illius lec-
tione nunquam discedimus. In his verò omnibus ita me gerere cona-
 tus sum, ut cum sententia non cum Authore contenderem. Nemi-
 nem verbis insector: nudam & apertam Scholæ Thomisticæ do-
 ctrinam, quæ nihil nisi abscondi erubescit affero: solis eam rationi-
 bus, sed validis, quibus semper veritas abundat, defendo: suspe-
 cta enim mihi ea est sententia, quæ lucem exosa, nudam & aper-
 tam videri refugit, seque convitiis occultat; infirma & rationum
 indiga, quæ solis se maledictis defendit. *Non ergo (ut cum Nazian-*
zeno loquar) adversarios contumeliis & convitiis laceffo, quemad-
modum plerique faciunt, non cum dogmate, sed cum dogmatis asserto-
re, confligentes; ac rationum & argumentorum infirmitatem, male-
dictis interdum contegentes: non aliter ac Sepias atramentum ante se
vomere aiunt, ut piscatores effugiant, aut conspectum sui eripiant.
 Cæterum illud Plinij mihi in mentem venit, *ingenui esse hominis*

Aristo-
teles de
Rethor.

Sido-
nius Ep.
adlocan.

Nazian-
zenus.

D Chry-
sosto-
mas
in Epist.
Pauli.

In præ-
fat. hi-
storia
natura-
lis.

profiteri per quem profeceris. Quare nolui id ingenuitati meæ deesse, teque (Amice Lector) hujus admonendum esse existimavi. Ne quid enim præterirem, quo locupletiores hunc meum cursum Theologicum efficerem; præter cæteros Scholæ nostræ Theologos, quorum opera lucem publicam aspexerunt, omniumque manibus teruntur, quæ ubique consului; interdum etiam conjeci oculos in scripta Lectorum Provinciæ nostræ Tolosanæ, quæ in Scholis dictata & excepta sunt; inter quæ plures tractationes reperi, quæ si ederentur, pauci sunt Theologi, qui de eodem argumento essent anteposendi. Evolvi etiam quæ videre licuit ex sapientissimo Patre Lemos, qui olim in Congregatione de Auxiliis, pro nostra Schola, felicissimè disputavit, & de gratia plenissimè, & copiosissimè scripsit, quæ ne edantur in lucem, & publici juris fiant, in causa est sola Dominicanorum & Discipulorum D. Thomæ observantia erga sanctam Sedem, quæ tractationes de Auxiliis divinæ gratiæ edi prohibuit. Impulit me etiam fama doctissimi Magistri Godoy, Ordinis nostri, olim in Salmanticensi Academia primarij Professoris, & nunc Oxomensis Episcopi, ut ipsius scripta viderem: & existimavi, si vel tanti viri nomen in nostris libris legeretur, majori plausu fore excipiendos ab iis inter quos suâ eruditione maximam gloriam consecutus est. Et sanè fama non superat meritum: summè enim eruditus est, & potissimùm in explicandis quæstionibus metaphysicis felicior. Sed de more suæ gentis, aut ut veriùs crediderim, ex ingenij magnitudine, & inexhausta copia, vix unquam disputationibus suis finem facit, aut reperit. Edidit iam in lucem triplicem integrum tomum de mysterio Incarnationis: si alteram tractationem edat, superabit librorum multitudine integram nostram Theologiam. Utinam in universam D. Thomæ Summam scripsisset; si quæ scripsit, lucem aspiciant, erunt maximo Scholæ nostræ ornamento; quamvis forsitan nostrorum hominum in Galliis non admodum genio & gustui accommodata sint; quòd longas spes diu sustinere non possint, nec uni scientiæ colendæ immori soleant, & ipsâ librorum multitudine, ab iis legendis deterreantur. Poteram equidem scriptorem hunc præterire; cum & cæteri satis superque juvare me potuerint: Sed existimavi non minus ab eo quàm ab aliis excipienda esse aliqua, ne ignorare viderer virum inter primos Scholæ nostræ Theologos hæc tempestate habitum: & cum hujus scripta, etiam antequam ederentur, penè publici juris essent, omniumque manibus tererentur, non poterat sine injuria & contemptu non in eodem ordine poni, cum cæteris Scholæ nostræ scriptoribus, quibus frequentius utimur. Hujus sæpissimè nomen commemoravi, ut viri famam augerem; & gentem studiosissimam in qua natus est, & quam me nimis brevitatis inculcare audivi, hac saltem parte, & hoc veluti commercio litterario cum viro doctissimo, qui librorum suorum multitudine, brevitatem, quam sectatus sum, temperare poterit, conciliarem. Cæterùm non dubitaverim asserere, me
singulis

singulis Theologiæ partibus, præter claritatem, ordinem, distinctionem, plurima addidisse; & plures integrasque tractationes, quæ post exortas novas controversias, in nostris Theologis desiderabantur, me primum inter eos qui integrum Theologiæ corpus ediderint, scripsisse. Primum enim longâ Apologiâ Calvinismi suspensionem omnem à nostra Schola depuli, eamque calumniam profligavi, ut posthac nullâ unquam verisimilitudine possit ab Adversariis instaurari, nobisque objici. Præterea Tractatui contra præmotionem physicam Petri à S. Iosepho (quem defensionem D. Thomæ inscripsisse videri possit per *ἀντιφρασιν*, ut locum multitudine arborum opacum, lucum dicimus, quod minimè luceat) ita respondi, ut non aliâ responsione opus sit; quamvis non desint, qui integro & justæ magnitudinis opere, perdoctè responderint. De controversiis Iansenij, quæ tandiu in nostris Galliis agitatae sunt, & quæ vix ad alia regna nostrarum perturbationum rumore aut famâ pervenerunt, plenissimè egi. Addidi tractatum integrum de delectu tutioris & probabilioris opinionis, ubi certissimas Christianæ Ethicæ regulas tradidi, & quorundam recentiorum Casuistarum laxitates, eo ordine, eoque numero collegi, ut solâ multitudine & foeditate Lectorem deterrere possint, & principia unde tam foedæ assertiones prodire, omnino falsi convincant. Adjunxi etiam tractatum de homine, ubi plurima resolvi, quæ vix alij attingunt, quod ad ea pertractanda controversiæ Iansenij extra Gallias ignoratae nos impulerint. His accessit brevis Synopsis virtutum Cardinalium, & earum quæ his veluti cardinibus innituntur, quâ luculentissimam D. Thomæ partem moralem in compendium redegisti. Præterea conatus sum miscere utile dulci, quibusdam digressionibus, & veluti extra Theologiæ Scholasticæ limites & cancellos excursibus. Ut enim artifices, dum toto connisu oculorum, & contentâ acie operibus toti incumbunt, identidem deflectunt oculos, & in gemmas, putâ Smaragdum, aut hujus pretij lapides conjiciunt, eorum vario colore aciem reparaturi: ita existimavi molestiam & laborem studij Scholastici comitem, magnâ parte levandum, si identidem Scripturæ & Patrum ornamentis, veluti gemmis aut floribus, animum recrearem. Et sanè hoc unum in nostra Schola desiderari videbatur, ut cum his ornamentis, claritate, distinctione, difficultates explicarentur, ut in eo studio aliqua voluptas percipi posset, quas dotes, ut verum fatear, pauci ex nostris, ob ipsam soliditatem & magnitudinem doctrinæ, quæ non adeò flecti aut deprimi potest, sunt assecuti. Et sanè id alioquin Scholæ nostræ eximium est, ut post quadringentos annos, quibus Theologiæ omnes difficultates ventilatae sunt & agitatae, vix aliqua superesse possint, quæ ab his qui nos præcesserunt occupata non fuerint. Quamvis tamen si ex hac duplici dote, quam potissimum Scriptoris munus exigit, inventionem rerum & claritate, aliquid mihi tribuero, *non ero insipiens, verum enim dicam*. Egi quod sibi olim D. Basilius tribuebat: principia, seminaque excolui, & meis labo-

Epist.
 24. ad
 Eustathium

ribus, in eaque culturâ, novam inde forsitan fegetem collegi. *Quem-
admodum* (inquit) *semen dum crescit, majus quidem è modico reddi-
tur, idem tamen est quod antea, non immutatum ex genere, sed au-
ctum ex incremento: ita mihi eandem sententiam, suis quidem auctam
profectibus, non autem qua nunc est, ei qua ab initio erat, adversam esse
arbitror.* Sed præter aliquam rerum inventionem, alterum mihi
forsitan veriùs amici tribuunt, scilicet claritatem, cui etiam po-
tissimùm studui. Semper enim mihi in animum induxi, quæ in re-
bus Theologicis toties decantatus Lirinensis agi jubet: *Esto spiri-
tualis tabernaculi Beseleel: pretiosas divini dogmatis gemmas sculpe,
fideliter coapta, adorna sapienter: adjice splendorem, gratiam, venu-
statem: intelligatur te exponente illustrius, quod antea obscurius crede-
batur: per te posteritas intellectum gratuletur, quod antea vetustas non
intellectum venerabatur. Eadem tamen qua didicisti ita doce, ut cum
dicas novè, non dicas nova.* Si hæc affecutus sum, & præterea anti-
quas sententias novis argumentis & ornamentis muniverim & illu-
straverim, non inutilem Scholæ nostræ, nec tibi (Amice Lector)
operam contuli. Vale.

Commo
nit. ca.
27.

